



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

19. An licitè possit Prælati dispensare, quando dubiat, utrum causa dispensationis sit justa? Ex p. 1. tr. 10. res. 31.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

De Dispensationibus. Resol. XIX. &c. 185

Dispensatione tenetur quis ieiunare, vel aliam legem servare, eo ipso esse sufficientem causam ad dispensandum, nec opus esse aliqua commutatione. Ex part. 4. tr. 3. Resol. 44.

Respondeo affirmatiue cum Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. c. 44. n. 10. vbi sic ait: Quia in benigniorem partem est in hoc dubio credendum, facultatem Superiorum esse in hoc dubio, id enim petit bonum, & suave Ecclesie regimen, esset enim multis scrupulorum occasibus exposita potestas. Si ad causas solas certas extenderetur, & vix auferent Superiores dispensare. Et ita hanc sententiam tenet etiam Syluester ver. dispensatio quaest. 14. vbi agens de Prælati Regularium, quibus permittitur dispensare in regulis, sic ait: Dispensare possunt quando eis constat de causa legitima, & etiam si dubitent, quia ad clementiorem partem declinandum est. Ita Sanchez, licet contrariam sententiam teneat Bonacina de legib. disp. 1. quest. 2. puncti. 3. num. 7. Verum mihi placet opinio affirmatiua, quam præter Sanchez, & Syluestrum tenet Caietanus in 2. 2. quest. 147. art. 4. in principio, & nouissimè Iacobus Granado in 1. 2. D. Thome contr. 7. tract. 2. disp. 6. sect. 1. n. 2. vbi etiam cum aliquibus iunioribus doctores, cum dubitatur an sine dispensatione tenetur quis ieiunare, vel aliam legem seruare, eo ipso esse sufficientem causam ad dispensandum, nec opus esse aliqua commutatione.

RESOL. XIX.

An liceat possit Prælati dispensare, quando dubitat, etiam causa dispensationis sit iusta? Ex part. 1. tr. 10. Resol. 31.

Negatiue respondet Bonacin. de legib. disp. 1. 2. puncti. 3. n. 7. quia fieri potest, vt causa re ipsa non sit sufficiens: sed qui periculo se exponit dispensandi sine iusta causa peccat, ergo, &c. Hæc opinio est probabilis: sed contrariam probabiliter docet Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 45. n. 10. quia in benigniorem partem est in dubio inclinandum; & credendum est, facultatem Superiorum esse in hoc dubium: id enim petit bonum, & suave Ecclesie regimen: esset enim multis scrupulorum occasibus exposita potestas, si ad causas solas certas extenderetur, & vix auferent Superiores dispensare. Ita ille. Et hanc opinionem docuit etiam doctissimus Syluester ver. dispensatio. p. 14. n. 10. vbi agens de Prælati Regularium, quibus permittitur dispensare in regulis, sic asserit: [Dispensare possunt, quando eis constat de causa legitima, & etiam si dubitent: quia ad clementiorem partem declinandum est.] Hæc doctrina est valde attendenda, quia multi scrupuli ex illa tolli possunt.

RESOL. XX.

An inferior possit dispensare in lege Superioris, quando dubitat, an casus egeat dispensatione? Ex part. 8. tr. 3. Resol. 72.

Respondeo, quod quidem si dubium sit positium, non excludens probabilitatem, certum esse debet posse dispensandum absque dispensatione operari, nulli enim morali periculo se exponit, sequens opinionem probabilem. Sic Bonacina disp. 1. de potestate Episcopi, allegat. 35. num. 18. At si dubium sit negatiuum, neque valeat iudicium probabiliter efformare, tibi dispensationem superuacaneam esse in tali casu, existimat Bonacina supra, dispensationem petendam esse à Sede Apostolica, ne se exponas periculo faciendi contra legem superioris, & quia praxis non obtinuit.

frâ lege doctrinam, &c. 78. & aliter verius prima non quamvis ibi sit questio de dubio valore voti.

2. Sed istam Bonacinae sententiam impugnat Cæstrus Palau tom. 1. tractat. 3. disp. 6. puncti. 5. num. 10. & asserit. Si æquè dubium sit, an casus indigeat, vel non indigeat dispensatione, reputandum esse non indigere; quia tunc est præsumptio pro libertate, neque alicui morali periculo faciendi contra legem exponeris; si verò inclines te indigere dispensatione: adhuc existimo te reputari posse non indigere illa, quia non debes ceteri lege adstrictus, quovisque de lege tibi certò moraliter constet. Concesso tamen gratis in illo dubio tibi esse necessariam dispensationem, existimo Episcopalem sufficere: tum quia non videtur Pontifici reseruatus casus dubius, sed certus: tum quia potestas dispensandi late est interpretanda. Ita Paulus. Et quo ad hoc vltimum idem docet ex Sâ Salas de legibus, disp. 20. sect. 3. n. 28.

RESOL. XXI.

An Episcopus, v. g. quando dubitat, an res egeat dispensatione, possit in lege Superioris dispensare? Ex part. 4. tr. 3. Resol. 46.

Ad hanc dubitationem respondet Bonacina de legibus disp. 1. quest. 2. puncti. 1. n. 18. distinguendo, vel probabiliter ait: Opinamur rem non indigere dispensatione, & tunc non est necesse dispensationem petere à Summo Pontifice, vel Episcopo, quia licitum est sequi opinionem probabilem deposito practicæ dubio; vel non probabiliter opinamur, sed practicè dubitamus opus esse dispensatione, & tunc certò petendam esse dispensationem à Sede Apostolica. Et ratio est, tum quia non debemus exponere nos periculo delinquendi contra legem Superioris, in qua Episcopus exceptis quibusdam casibus dispensare non potest; tum quia praxis in oppositum extrare videtur. Ita ille.

2. Sed ego contrariam sententiam probabiliorum esse censeo, quam tueri Cæstrus Palau tom. 1. tr. 3. disp. 6. puncti. 5. num. 10. Layman lib. 1. tract. 4. c. 22. num. 4. Emanuel Sâ ver. dispensatio, num. 1. Barbosa de potest. Episc. part. 2. allegat. 35. n. 19. & alij penes ipsos. Ratio est, quia in tali casu adest præsumptio pro libertate, neque alicui morali periculo faciendi contra legem exponeris; & etiam si inclines te indigere dispensatione, adhuc existimo te reputari posse non indigere illa, quia non debes ceteri lege adstrictus, quovisque de lege tibi certò moraliter constet. Concesso tamen gratis in illo dubio tibi esse necessariam dispensationem, existimo Episcopalem sufficere; tum quia non videtur Pontifici reseruatus casus dubius, sed certus; tum quia potestas dispensandi late est interpretanda. Sic Cæstrus Palau loco citato.

RESOL. XXII.

Quando casus dubius egeat dispensatione? Et an Episcopus possit dispensare in lege Pontificia, quando dubium est, an casus egeat dispensatione? Et an Prælati inferior possit dispensare in legibus Superioris. Si ei interdictum non sit? Et an Episcopus possit in sua Diocesi, quicquid potest Papa pro tota Ecclesia, nisi à pontifice prohibeatur? Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Resol. 82.

Q 3 §. 1. Hic

Sup. in Ref. 1. no. præterita §. 2. ad medium.

Sup. hæc potestare fuisse in Ref. 4. v. a. medio, & infra in Ref. 2. cursum in §. 1. propè finem, & in Ref. 4. & in alio §. earum annotationum.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in aliis eius primæ annot.

Sup. hoc in Ref. præterita ad medium §. 2.